



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Septem Illvstrivm Virorum Poemata

Cesarini, Virginio

Antverpiae, 1662

In Dionysii Petavii ..., Ad Avgvstinvm Favoritvm, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-7990

I N
DIONYSII PETAVII

obitum, & restitutam ab ipso
temporum rationem,

I Am spatij dimensa suis reuolubilis aetas
Per te ibat, numeris currere docta suis,
Immeritum cum te, PETAVI, sustulit: error
Quem tu corrigeres hic super vnus erat.

A D

AVGVSTINVM FAVORITVM,

remissis auctori pro vitreo poculo
hendecasyllabis.

A Vgustine, nouem decus Sororum,
Atque idem pater elegantiarum,
Idem flos & ocella literarum,
Qui me pro vitreo scypho impolito
Donasti hendecasyllabis politis:
Quales vel faceret meus Catullus,
Vel siquis melior fuit Catullo,
Si quisquam melior fuit Catullo.
Nam me continuo die bearunt,
Ac tot tædia pessimi dierum

Æstatis

*Æstatis sitientis abstulerunt,
 Quod si munera nostra deputantur
 Tanti, iam cyathos venustiores
 Quæram, & pocula puriore vitro.
 Tu contra, ut semel excidère, mittes
 Puro carmina puriora vitro.*

A D

STEPHANVM ABBATEM
 GRADIVM.

Cùm ALEXANDER VII. Pontifex
 Maximus renuntiatus esset.

S*I mihi quæ dextro tibi numine sæpè vocantur
 Auxilio blandi carminis Aonides
 Dictarent, quod nec seris venientibus annis
 Oblito doctorum effluat ex animo;
 Nec præsens ætas, atroq; imbuta veneno
 Infelix ausit deterere inuidia,
 Supremaq; fauilla, & nigri funeris expers
 Effugiat taciti temporis insidias,
 Docte GRADI, mihi quem dulces ante omnia Musæ
 Iunxere, & puro pectore culta fides,
 Et facilis vis eloquij, quæq; aurea mentem
 Formavit dictis Attica Suada suis:*

Non